

Martin Brasch

**DE VITA ET MORTE || MAGNIFICI ET GENERE AC IN-||GENIO NOBILISSIMI VIRI  
DN.|| THEODORICI MOL-||TZANII, IN VLRICHSHAV-||SEN, Claber, & Hagen  
Hereditarij || MEGAPOLITANIAE ET POMERA-||NIAE CONSILIARII PROVINCIALIS  
... || die 29. Nouembris, Anno ... 1599.|| anno aetatis 49. denati || ORATIO ||  
Parentationis loco die 3. Ianuarij, anni ineuntis 1600.|| quo die corpus eius  
humabatur in templo Ram-||bouiensi, publicè in Academia Ro-||stochiensi habita  
|| A || MARTINO BRASCHIO || Logices professore publico.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1600

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1774359081>


Druck Freier  Zugang




Brasch, M.,  
in  
T. Moltzan.

Rostock, (1600.)

*LB FP Moltzan, Dietrich 1600/a*







DE VITA ET MORTE  
MAGNIFICI ET GENERE AC IN-  
GENIO NOBILISSIMI VIRI DN.  
THEODORICI MOL-  
TZANII, IN VLRICHSHAV-  
SEN, Claber, & Hagen Hereditarij

MEGAPOLITANIÆ ET POMERA-  
NIÆ CONSILIARII PROVINCIALIS ET IN  
districtu Vandalico MARESHALLI cum omnium bona-  
rum dolore, die 29. Nouembris, Anno Christi 1599.  
anno ætatis 49. denari

ORATIO

Parentationis loco die 3. Ianuarij, anni incuntis 1600.  
quo die corpus eius humabatur in templo Ram-  
bouienfi, publicè in Academia Ro-  
stochienfi habita

A


MARTINO BRASCHIO  
Logices professore publico.



ROSTOCHII

Typis STEPHANI MYLIANDRI.

33



**MAGNIFICO ET**

**GENERE AC INGENIO NOBILIS-**

**SIMO, VIRTUTE, SAPIENTIA, ERVDI-**  
tione, facundia & autoritate excellenti, DN. FRIDERI-  
CO A BERGEN, Ducatus Luneburgici Consiliario,  
Capitaneo Blekenfi, in Hertz & Lind-  
horst Domino

*Nobilitatis Luneburgica oculo,*

**STRENVO ET NOBILISSIMO, VIR-**

**TUTE, PIETATE, HUMANITATE ET**

*integritate praestanti DN. VVIGANDO MOL-*

**TZANIO in GRVbenhagen &**

*Radam hereditario,*

**NOBILI ET PATERNI INGENII**

*indole & doctrina, integritate, ac humanitate ornatissimo*

**DN. FRIDERICO MOLTZANIO, paterno-**

**rum animi & fortunæ bonorum fu-**

**turo heredi,**

**Defuncti p. m. THEODORICI MOLTZANII**

**AFFINI: FRATRI: FILIO:**

*Hanc de eiusdem vitâ laudatissima, morte prematurâ quidem sed be-*

*atissima, defuncti gloria conseruanda: dolori vxoris, liberorum,*

*consanguineorum, affinium mitigando: suæ obseruantia,*


*conestanda: habitam editamq; Orationem*

*l. mqs; optimis literatorum patronis,*

*Dedicabat*

*Martinus Braschius.*

*Magnifico*



**M**agnifice Dn. Rector, Reuerendi  
Clariss. Consultiss. doctissimiq; viri,  
Domini & collega colendi, iuuenes ge-  
nere & doctrina ornatissimi: Vixisse  
**THEODORICVM MOLTZANI-**  
**VM**, ditionis huius Megapolitanae & Pomerania  
vicina consiliarium, & in districtu VANDALICO  
Marescallum, si quisquam vestrum est qui hacte-  
nus ignorarit, nunc ex tristi huius orationis mea  
initio certiores esse potestis, qui huc cōuenistis, uni-  
uersi. Atq; utinam ita fata voluissent, ut lethale  
hunc nuncium neq; ipse accepissem, neq; in au-  
res vestras hoc loco necessario effunderem. Viueret  
enim ille & superesset suis, qui eum immaturè ere-  
ptum omnium acerbissimè lugent: viueret Mega-  
politania, Pomerania, Reip. vniuersa, qua illius  
consilium & salutarem opem vnicè suspirat atque  
desiderat: viueret templis atq; ministris Ecclesie,  
qui eius pietate & munificentia privati lachrymas  
non tenent: viueret tot clientibus suis, qui in fune-  
ris, quod hoc die deducitur, comitatu miserabiliter  
ingemiscunt: viueret omnibus bonis & mihi deni-  
que &



que, & meis, qui quem venerati sumus viuum,  
eum iustâ doloris acerbitate prosequimur mortu-  
um. O funestum illum & luctuosum diem, qui hunc  
virum nobis eripuit; illa ætate, quam multi mali  
uiuendo duplicant: illo animo, qui volebat bene  
mereri de omnibus: illa dignitate & ingenio, quib.  
quod volebat, prestare poterat: illo tempore, quod  
suis, quod familia, quod Reip. quod omnibus bo-  
nis, quod mihi & meis prapropere nimis est atq;  
immaturum.

Quod cum Deo immortali vitæ nostræ initi-  
um & metam præficienti ita visum sit, qui inno-  
centes & optimas quasq; animas præ alijs ad opti-  
mam illam vitam traducit: dolorem quidem ex  
obitu eius perceptum sinamus illorum esse, ad quos  
ille pertinet, quorum equidem permagnus nume-  
rus est, priuatum & peculiarem; memoriam verò  
nominis, virtutumq; celebrationem communem  
omnium. Neq; enim, si non omnes, quos hic adesse  
frequentissimos video, aut ad quorum aures hac  
peruentura sunt, parem ex funere huius optimi &  
clarissimi viri capiunt dolorem, propterea quis-  
quam est, qui laudibus eius inuideat, aut minus eis  
delectetur: neq; si lachrymis pleriq; abstinent, gemitum

tum etiam nullum mittunt. Atq; utinam illi talis praeo in hoc supremo exequiarum honore contigisset, qualem virtutem & dignitatem eius deponere omnes intelligitis! nunc ego iuventus sum, non electus ex omnibus, qui optimè possem, sed relictus vnus, qui praeter ceteris hoc officium propiore aliquo vinculo & iure illi deberem: neq; ut ille pro virtutum & meritorum magnitudine laudatus; sed ne planè in hac Academiâ nostrâ indictus atq; illaudatus mansisse diceretur.

Quaquam autem per multa sunt, quae huic clarissimo & nobilissimo viro, non solum viuorum, sed posterorum quoq; amorem & laudem concitare possint: tamen cum sapientissimis quibusq; ea potissima & praecipua iudicio, quae in ipso fuerunt. Nam quod diuinitus illi contigerit, non ex humili aut plebeia, sed ex nobilissimâ huius ditioris gente: non ex proletarijs & nullius ingenij & fortuna, sed ex primarijs, generosis & optimis parentibus nasci, haec etsi non contemnenda videantur: tamen cum proprijs cuiusq; animi bonis in cõtentionem venire non possunt. Et tamen nemo nostrum est, aut esse debet, quin de nobilitate ita sentiat, quemadmodum Deus, qui illam reliquis ordinibus pratulit,

A 3 vult

vult atq; precipit: neq; verò quisquã, quin ut gem-  
mam in auro magis quã ferro, ita virtutẽ in nobili  
magis quã rustico admiretur & amet. Possem hęc  
per multa & verè dicere de præstantiã MOLTZa-  
nia gentis Grubenhagij residentis (ne PENtz li-  
nenses & KVMmerouienses hoc loco attingam)  
in hoc ducatu Megapolitano, qua ut vetustate or-  
tus atq; profapia: ita neq; fortitudinis & ceterarum  
virtutũ laude, neq; præstantiũ virorũ frequentiã  
& ubertate; neq; honorib. & munerib. fideliter &  
feliciter gestis; reliquis huius ditionis familijs per  
multos annos cęsit. Inter qua cum reliqua mihi o-  
mittenda sint, non quò illa scientiã vestrã indigna  
iudicẽ, sed ut ad proprias atq; interiores huius viri  
laudes eò citiũs mihi venire liceat: illud tamen silen-  
tio præterire nõ possum, quod maiores huius stirpis,  
virtute sua & meritis illustrissimis Principibus  
& reliquis huius ducatus Ordinibus probatis, iam  
olim M Areschalli dignitatem & officium emeriti  
sint, eamq; ita huic familia propriam & heredi-  
tariam fecerint, ut quanquam proximis annis  
inuenti sint, qui lite MOLTZanijs de hoc munere  
moti illud in se & familiam suam transferre vo-  
luerint, tamen in MOLTZANIORVM  
familiã,

familiã, cuius propria semper fuit, haeserit atq; iure  
fuerit vindicata. Nihil iam dicam de THEO-  
DORICO MOLtzanio, Grubenhagij & alio-  
rum latissimorum fundorum domino, huius THE-  
ODORICI proximo cognato: quem & aulici  
Mareschalli officium & Consiliarij publici insi-  
gne munus eã prudentiã, ingenij dexteritate, do-  
ctrinã, consilio & autoritate paulò ante nostram æ-  
tatem gessisse accepimus, ut & principibus vnus o-  
mnium fuerit carissimus, & in hac ditione tanquã  
gemma quadam aut nitidissima stella præ cateris  
effulserit: non de quatuor huius THEodorici filijs,  
HENrico, VVIGando, CHRIsophoro, THEO-  
dorico MOLtzanijs, qui cum omnes paterna sa-  
pientia & facundia indolẽ retinuerint: tum in pri-  
mis VVigandus militari sciẽtia ac magnanimita-  
te cateris antecelluit, & familia sua lucem excita-  
uit. non de VVEDIgone MOLtzanio, in Gru-  
benhagen hereditario, quem priuatam vitam am-  
plexum, pietatis, integritatis, iustitia & veritatis  
memini fuisse studiosiss. & tum verbi diuini, tum  
eiusdem ministrorũ amatorem & defensorẽ maxi-  
mum. non deniq; de huius THEODORICI paren-  
te VLRico, viro cordato & non solum genere, sed  
ingenij

ingenij urbanitate quoq; nobilissimo: qui et si iuue-  
nis militiam secutus esset, tamen post, quietam vi-  
tam amplexus, locum inter suos tum splendore co-  
piarum, tum nominis & vite fama, facile non ul-  
timum tenuit. Is cum discedens, undecim liberos  
& in his septem filios generosa indolis reliquisset:  
tamen, si quid ad defunctos posterorum fortuna  
pertinet, quemadmodum Aristoteles vult, nullo  
ex illis magis aut gloriari posse, aut beatior esse di-  
cendus videtur, quam hoc THEODORICO. Cateri  
.n. postquam egregiam de se praclaræ indolis & vir-  
tutis non unius specimen precoci quadam maturi-  
tate prabuissent: partim in bello, partim domi et a-  
te atq; ingenio florentissimi iuvenes occubuerunt:  
duobus fratribus, hoc THEODORICO, &  
qui iam unus ex septem illis superstes est, UVI-  
GANDO, pietate, integritate, humanitate &  
veneratione verbi diuini, & patris familiæ vir-  
tutibus prestante, paternorum bonorum relictis  
heredibus.

Verum ut omiſſis hisce ad Theodoricum ipsum  
& propria eius animi bona aliquando veniam: da-  
te mihi hanc veniam queso, ut si neq; omnia que  
debeo, oratione mea complexus fuero, neq; ad præ-  
dicandas

dicandas huius viri virtutes parem eloquentia  
splendorem & vocis atq; laterum firmitatem &  
animi in hoc tam frequenti vestro confessa magni-  
tudinem ipse attulero, illud ipsius gloria nihil ob-  
stitisse aut detraxisse videatur. Si enim ex multis  
pauca, ex maximis minima attigero, officio meo  
me satisfacisse putabo, Etenim siue domesticam hu-  
ius viri vitam: siue civilem inter homines societate-  
tem: siue in gerenda quam susceperat dignitate &  
officio publico, industriam & fidem: siue nativam  
ingenij & animi bonitatem: siue affabilitatem eius  
& comitatem singularem, tum erga omnes, tum  
in primis literatos: siue ardentissimum de quibus-  
vis benè merendi studium, siue, quam omnium  
primo nominare debuissim, deuotam erga Deum  
pietatem: hac & multa alia cum intueor, & me-  
moriã mecum repeto: exclamare equidem & in-  
dignari cogor, vel potius tacitus mecum ingemi-  
scere, quod hac omnia cum illo extinxerit atq; se-  
peliuerit ille temporis articulus, qui vitam ei ade-  
mit. Neq; tamen hoc ita dictum, aut ista huic uni-  
ta tributa volo, ut aut alijs virtute & ingenio  
& meritis in Remp. excellentibus viris quicquam  
detraham: aut paria hac vel fortasse quadam

B

magis

magis conspicua in alijs quibusdam esse negem; vel  
deniq<sup>3</sup>, ab omni humanitatis & peccati labe, cui ne-  
mo non obnoxius est, illum vindicandum censeam.  
Verum cum defunctis hoc unum debeamus, idq<sup>3</sup>,  
ratio ipsa & humanitatis sensus à nobis postulet,  
ut dotes & gloriam eorum non opprimamus, sed  
illustremus, cumq<sup>3</sup>, in illis, qui vivere desierunt, ipsa  
quoq<sup>3</sup>, invidia tacita laudes eorum verissimas sine  
morsu animi audiat ipsq<sup>3</sup>, assentiatur: arbitror e-  
quidem, & certò mihi polliceor, illustres illos & egre-  
gios viros, quibus aut vità quadam coniunctio aut  
muneris societas, aut aliud quodcunq<sup>3</sup>, necessitudi-  
nis ius cum THEODORICO intercessit, ita  
sentire, quomodo ipse sentio; fuisse in illo non pau-  
ca qua amorem: multa qua laudem non medio-  
crem: plurima qua vitam merita fuissent, lon-  
gissimam.

Quod si ceterarum virtutum ducem & ma-  
trem vocamus eam, qua Deum colimus atque a-  
mamus: hac in illo ita eluxit, ut neque aeternum il-  
lud atque infinitum numen quisquam amore &  
fide ardentiore veneratus sit, neque verbum eius  
maiore diligentia & alacritate audierit: neque  
veritatis in controuersis Ecclesiasticis indaganda  
studio-

studiosior: neque ministrorum verbi diuini amantior  
quisquam fuerit inuentus. Sciebat enim atque ita  
erat à pueris edoctus, liberalis quidem & ingenii  
animi esse, ingenium doctrinà excolere: pulchrum  
& gloriosum, fortitudine, iustitia, eloquentià  
& alijs dotibus excellere: eximium & praeclarum  
dignitate atque amplitudine eminere & alios an-  
teire. sed tamen haec omnia caduca esse, mortalia;  
in quibus nihil neque stabile neque verè beatum:  
nisi radicem habeant atque fundamentum vnam  
pietatem. Cum igitur ceteris sedulò operam da-  
bat, tum verò hanc illarum ducem atque rectri-  
cem nunquam ex animo dimittebat. Neque ve-  
rò is erat, qui studium in ea re suum ostentaret, aut  
in oculis hominum circumferret. In secreto ani-  
mi, in assiduis ad DEVM precibus, in sacra-  
rum literarum lectione religio illius latebat po-  
tius, quàm emicabat. neque tamen illa non con-  
spicua esse poterat, vel interiorem eius vitam,  
vel in agendo & contrahendo cum alijs integri-  
tatem, vel admirabilem in sacerdotibus & sacro-  
rum antistites amorem & beneficentiam obseruan-  
tibus. Quemadmodum enim ingenium prodere di-  
citur oratio: ita pietatē, & fidem plerunq; externa



facta. Non dicam, quod templum illud, quod ipse  
semper ad auscultationem doctrinae caelestis fre-  
quentabat, hortatu & sumptu suo amplius & pul-  
chrius redditum: quod ministrorum verbi inno-  
centia ab aliorum accusatione & exilij minis ipso  
defensore asserta saepe & in integrum restituta sit.  
illud unum certe praclarum pietatis atq; bonitatis  
argumentum tacitus praterire nullo modo neq; pos-  
sum neq; debeo, quod cum sacerdotem suum ante  
aliquot annos morte amisisset, non solum viduam  
successori elocavit, id quod frequenter & passim ab  
optimis quibusq; templorum patronis admitti vi-  
demus, sed & illud singulari & plane paternâ cu-  
râ effecerit, ut tres eiusdem sacerdotis filia tribus  
filiorum suorum praeceptoribus, quorum eruditio-  
nem & vitæ integritatem diuturno usu explorâ-  
rat, ordine nubarent, non quidem ita, ut imposte-  
rum filios suos instituerent, sed ut duo quidem eo-  
rum, in idem paroecia sua templum atq; suggestum,  
alter per mortem soceri, alter per affinis in alium  
locum migrationem: tertius verò in aliam quan-  
dam paroeciam (ut or enim trito vocabulo fre-  
quenter) cuius iurisdictio & patronatus ad ipsum  
pertinebat, traducerentur. O animum verè opti-  
mum,

mum, & à quo plus consecuti sunt sui, quam sperare aut petere ausi fuerunt!

Quid de ingenio eius dicam & literis & in literatos benevolentia? Cum enim ingenium ipsi natura attribuisset doctrina & literarum capacissimum; animum verò in quo humanitas & mansuetudo cum magnanimitate certabant: vim illam atq; indolem natura secutus, Marti quidem & magnanimitati non planè renunciavit, quippe quorum presidio & telis non semel in tempore ad inimicorum impetum retundendum usus est, qui etiam in proxima armorum lustratione equestri MARESCALLI officio laudabiliter & cum singulari omnium approbatione perfunctus sit: sed tamen in MINERVA atq; ASTRÆÆ sinu educari & inter nobiles honoratos atq; eruditos, quam inter milites aut militum, prefectos haberi maluit: non quod eam laudem, quæ ex militia & rebus fortiter gestis reportatur, aut eos, qui militari scientia excellunt, despiceret: sed quod ad pacatam & togatam vitam, naturâ sese trahi atq; impelli sentiret. Non solum itaq; domi diligenter institutus in adolescentiæ studiis: verùm etiam maturè ad Academi-  
mias missus hanc nostram omnium primò inuisit;

Et paulò post cum tribus fratribus LVdonico, IO-  
chimo Et BERNhardo studiorum socijs Argen-  
toratum profectus, clarissimòq; eius Scholæ lumini  
Et Rectori perpetuo, IOHANNI STVR-  
MIO à Reuerendo Et Clariss. viro Doctore  
DAVIDE CHYTRÆO præceptori no-  
stro communi commendatus, eius voce Et præce-  
ptis per aliquot annos imbutus Et eruditus est.  
Post quoque in Academijs TVBINGensi Et  
VITEbergensi Et IENENSi mediocrè tum tem-  
poris spacium tum studium atque operam in lite-  
ris collocavit. Quo annorum Et diligentia cursu  
ille hoc, quod sibi propositum erat, perfacile est  
consecutus, ut non tantum latinè, cum vellet  
promptè loqueretur, Et pereleganter eadem lin-  
guâ inscribendo uteretur, sed etiã simul Iurispru-  
dentia studia coniungens, tantos in eâ fecit pro-  
gressus, ut non solum ius intelligeret, sed etiam  
causas suas, quas vellet, ipse ageret, vel certè,  
quod eò se demittere nollet, cum eas alijs commi-  
sisset, arbitrum earum Et correctorem, sicubi o-  
pus erat, sese gereret. Idem de adolescentiæ stu-  
dijs Et institutionis ratione rectè Et acuratè iudi-  
cabat: Et quemadmodum ipse literis multum de-  
lecta-

lectabatur, earumque fructu quotidie gaudebat, ita  
filios suos non solum optimis moribus informari,  
sed in Pallados quoque & Musarum officinam e-  
ducari & erudiri volebat. in quem usum prae-  
ceptores illis quarebat non e sece aut vulgi sentinam,  
sed qui ita liberaliter instituti erant, ut e suo,  
quod discipulis largirentur, haberent, & re-  
ctam quadam & succinctam, ac, ut ita loquar,  
compendiosam docendi rationem vterentur, & cum  
hoc officium suum facere vellet: ipse tamen nun-  
quam suas partes intermittebat, inspiciendo o-  
peras hebdomadarias, adhortando, castigando,  
ordinem & modum praescribendo. Ipsos vero  
praeceptores, neque a familiaritate sua neque a  
convictu, ut saepe fit, remouebat, neque ad alia  
seruitia illorum ministerio abutebatur: sed cum il-  
los huic uni cura intentos esse sinebat, tum vero  
honore eos illodignabatur, quem ad autoritatem  
in discipulos obtinendam, pertinere iudicabat.  
Idem, cum literatus ipse esset, literatos vehemen-  
ter amabat: neque vero, quod generis splendo-  
re & diuitiarum copijs & dignitatis eminen-  
tia illis prestare, eo praese quenquam contem-  
nebat, sed quae affabilitas & comitas ei in omnes  
prope-

propemodum erat communis, eadem in doctos propria quodammodo & singularis: quos & honore afficiebat: & ad se, ubi ferebat occasio, inuitabat, & consuetudine eorū apprimè delectabatur, ita, ut quantum temporis nonnulli vel aleæ, vel nocturnis conuiujs, vel venationi tribuunt, tantum ille tum ipsis literis, tum eruditorum colloquijs, ubi ea suppetere poterant, tum meditationi officij & negotiorum, quæ susceperat, impenderet.

Neque tamen erga literatos solummodò animi sui beneuolentiam effundebat: verùm ita à natura erat factus, ut ipsam humilitatem in animo, affabilitatem in ore illius sebitare dixisses. idq; non solum in superiores aut pares, qui eum propterea amabant atq; in oculis ferebant, sed etiam in inferiores, quos non tristi vultu reiciebat, sed sermonis & frontis lenitate inuitabat atq; timidos consolabatur. O nobilem hunc multis alijs dissimilem! quibus nihil graue, nisi idem austerum; nihil heroicum, nisi idem superbum; qui metui se malunt, quàm amari; quiq; tum demum magni sibi & magnifici videntur, cum toruo vultu incedunt, & alios ex alto præ se despiciunt. Longè alius erat THEODORICUS: qui ita grauitatem lenitate quadam

dam temperabat, ut & auctoritatem suam facile  
tueretur: & nihilominus paribus minorem, infe-  
rioribus parem se gerendo, amorem in se concita-  
ret omnium. Neq; enim quenq; reperiri existimo,  
cui ille iustam causam odij prabuerit: nisi quod ne-  
mo ita felix aut humanus esse possit, ut omnium o-  
dium effugiat: permultos verò & innumerabiles,  
quorum benevolentiam verà animi humilitate &  
modestia & sermonis ac vitæ facilitate pronocã-  
rit atq; illexerit.

Atq; hoc eò citius eòq; facilius assequabatur,  
quod non solum quemuis libenter ad se admitte-  
bat, familiarissimèq; quibusvis bonis utebatur:  
sed etiam multò magis, quod re ipsâ iuuabat tum  
consilio, tum operâ, tum intercessione, tum benefi-  
cijs, quos poterat, beneq; mereri studebat de omni-  
bus, qui officio suo indigebant. Etenim quod ab op-  
timo quoq; natura duce postulatur, ut se non sibi  
solum, sed suis, sed patriæ, sed bonis omnibus na-  
tum existimare debeat; id ille non tam ore aut  
mente circumferebat, quàm re & factis probabat.  
Neque enim adiumenta aut ingenij aut doctrina  
aut sapientia aut ceterarum rerum illi deerant.  
Prudentia non vulgari: ingenio sagaci; doctrina  
C pracla-

praclara: consilio maturo & felici, & in scribendo expeditum & neruosum illum fuisse meminimus. Gratiã quoq; valebat & autoritate, tum apud alios: tum in primis apud illustrissimum principem Ulricum, ut quos dignos iudicaret, eorum causam, si modo non pessima esset, cuius defensionem non suscipiebat, facile tueretur & iuuaret: idq; ita sanè interdum enitebatur, ut neque intercessoris partes defugeret, neq; labori suo parceret: ex quo nihil prater gratiam & amorem reportabat, neq; verò aliud quicquam cupiebat. Nemo illo ad miserorum calamitatem leuandam & patrociniuum subeundum erat pronior: nemo ad consilium salutare suppeditandum magis officiosus: nemo deniq; ad labores suscipiendos acrior. Quoties illum vidit parens meus, quo uno familiarissime praeteris atq; intimo utebatur, à cana vel prandio surgentem, ut negotium ad se allatum ipse agnosceret vel consilium in causa clientis meditaretur, vel supplicationem serà nocte conficeret? Quis igitur miretur, gratum illum, carum & iucundum fuisse vel omnibus vel plerisq;?

Fam si integritatem & veritatem optimi viri dilaudem: si iustitiam amorem: si pacis & concordia sua

studium: fieri equidem non potest, quin quem vi-  
uum non cognovistis, eum amare incipiatis &  
magnificere mortuum. Ita quidem existimo, cum  
dona ingenii ac lingua, & corporis ornamenta,  
qua singula à Deo mirâ varietate dispartuntur,  
minime contemnenda esse: adeoque non mediocre esse  
elogium, si virum prudentem, si ingeniosum, si di-  
sertum, si heroica corporis maiestate ornatum di-  
xeris: tum verò non minora hæc, nisi fortè maiora  
astimari debere, si pium, si integerrimum, si ab in-  
iustitiâ alienum, si à litibus & simultatibus alien-  
dis abhorrentem verè nominaris. Quæ si quisq;  
in Theodorico nostro requirat, aut in eo fuisse ne-  
get: caueat ne publicâ luce & clarissimo omnium  
testimonio refutetur. Etenim si integritatis  
esse censetur, ita sentire ut loqueris, ita in sermone  
vultus & gestibus te gerere, ut sentis, ita deniq; a-  
gere, ut verbis præ te tulisti: profectò Theodorici  
sermonem cum mente, facta cum verbis ita conspi-  
rasse meminimus: ut cum cæterorum nihil sibi ar-  
rogaret aut valde præ se ferret: unam hanc inte-  
gritatis & veritatis laudem cum iustitiæ & pacis  
studio coniunctam sibi integram & inculpata esse  
vellet. Itaque vehementer oderat & detestabatur  
illos,



illos, qui aut magnificentiam quandam ac liberalitatem in sumptibus non necessarijs faciendis praeseferrent, cum quo loco aut egenis succurrendum, aut operarijs & ministris merces debita esset soluenda, omnium conspicerentur sordidissimi atq; iniquissimi: aut qui iustitia sese & equalitatis amantes multis verbis & magno stomacho pradicarent, cum Harpyijs essent in traducendis ad se alienis rapaciores: aut qui fortes & magnanimi vel magniconsilij & sapientia perhiberi vellent, cum nihil solidi, nihil nervosi harum rerum ijsdem inesset: aut qui bona conscientia nomen perpetuo in ore haberent, cum animus mala conscientia stimulis saucius gloriati illi intus reclamaret. Ipse verò neque quicquam de se iactabat: neq; altus spiritus gerebat: neq; ingenium varium & fucatum habebat: neq; alius esse, alius videri volebat. recta, candida, nivea in eo erant omnia. veniat vel ipsa in medium calumnia: diuersum quicquam testari neq; audebit neq; poterit.

Sed fortasse ut est quorundam hominum iudicium, orientur & existent aliqui, qui ista quidem detrabere illi non audebunt: sed vulgaria & minima esse

ma esse dicent, & alia quadam maiora requirent.  
quibus in bellis pro patriâ militârît? quos ordines  
duxerit? quam clarus fortitudine extiterit? quas  
arces expugnarit? vel defenderit? qua trophæa sta-  
tuerit? quam magnificus fuerit in sumptibus faci-  
endis? Quasi verò auditores, clarissimi atq; or-  
natissimi, interna illa & ciuiles virtutes vel non  
pares bellicis istis essent, vel fortè superiores? Imo  
verò quantum laudis mereri aut quàm gloriosum  
censebitis illum belli ducem, vel centurionem, vel  
militem, qui postquam benè feliciterq; rem in bello  
gessit: domum reuersus vel in Deum impius; vel  
in alios iniurius: vel ijs, quibus cum viuit, arro-  
gantia & fastu & rixis molestus & odiosus est?  
quid si istuc accedat, ut auaritia, ut iniquitate,  
ut libidine, ut luxu priora contamine? nonne  
aurifaber vel mercator rem honestè faciens &  
pietati ac integritati studens, melius audiet, quàm  
isthic cum omnibus suis vexillis aut triumphis?  
quid si ad alterius vitam piam & honestam acce-  
dat nobilitas generis? ingenium? sapientia? litera?  
humanitas præclara? æquitatis & iustitiæ amor?  
acerrimum de quibus vis benè merendi studium?  
& ad bene merendum nerui & facultas? quid his

deesse putabitis, quo minus in lance posita contra  
militares laudes eas aut æquent aut longissimè ijs  
preponderent.

Verùm sunt alia quoq; que vel sola militari  
laudi nullis etiam vitijs contaminata nihil cedūt.  
Pugnauerit aliquis pro patriâ. at quotus quisq;  
hoc facit, nisi premio vel gloriâ inductus? quid qui  
consilij publici assessor est? qui de Reip. commodis  
augendis auertendisq; incommodis in consessu se-  
natorum sententiam suam fert? qui pro communi  
bono, cui singulorum salus inclusa est, salutari cõ-  
silio, vigilantia, operâ excubat? nunquid aut mi-  
nus prestitisse, aut non tantum gloriæ inde consecu-  
tus uideri debet, quàm ille patriæ & ciuium propu-  
gnator? Certè. Etenim omnium sapientum sus-  
fragia in eo consentiunt & res ipsa hoc loquitur:  
in bono h. e. sapienti et fideli consiliario non minus,  
imò verò plus positum esse, quàm in forti milite,  
vel militum præfecto. Hic ego nunc non dicam,  
auditores, quid THEODORICUS in publico hoc &  
amplissimo officio Senatorio, quod eum per annos  
vndecim in nostro: per annos septem in Pomerania  
ducatu, administrasse meminimus, ad priora  
illa, que vita priuata et civilis fuerunt, adiecerit?  
quan-

quantum aut conatus sit, aut praestiterit? qua eius fuerit in dicendis sententijs prudentia? qua auctoritas? quàm lubenter & seriò suas partes, ubi opus fuit, obierit? De quibus malo illos testes audiatis: qui isthac omnia, & qua huc pertinent, oculis suis conspexerunt: quiq; collegam fidelem, sapientem & laboriosum sibi nimis mature è collegio suo subductum hoc ipso die in funeris deductione congregati clarâ & lugubri voce conqueruntur. Illud certè omnes mecum intelligitis, nisi earum virtutum & ornamentorum animi atque ingenij, qua ad tam arduum & sublime munus requiruntur, certissima in eo eluxissent argumenta, non futurum, ut ad dignitatem istam & confessum senatorium, in quo non de vicini capella aut stillicidio, sed tum de publicis singulorum Ducatum & Principum negocijs tam belli quam pacis tempore deliberatur, tum de omnibus omnium ordinum controuersis principe ipso praside iudicatur, atq; deciditur, publica Illustrissimorum principum & ordinum utriusq; regionis voce & consensu esset enectus. Quos quidem ut iudicij de illo facti poenituerit vnq; tantum abest, ut & fructum eius tulerint uberrimum, et illo dum vixit, cariorem haberint

buerint neminem, & nunc, postq; eo tam prepro-  
perè spoliati sunt, non obscuram doloris edant,  
significationem. Princeps equidem **ULRICVS**  
cum ceteros magnificos & sapientissimos viros,  
qui in senatu publico sedent, mirificè amplectatur:  
tum verò huius ingenio & natiua animi bonitate  
& prudentia ita delectatus est, vt & magni  
eum fecerit & in legationibus ac negocijs alijs  
publicis eo interprete & vicario aut administro  
nonnunq; usus sit; talemq; semper expertus, vt ad  
obitum eius renunciatum non simulatè, sed serio  
ingemuerit & longiorem vitam exoptarit. Quid  
quod nos ipsos, cum illum in superiore Academia  
nostræ **Visitatione Illustrissimi principis ULRici**,  
patris patria & domini nostri clementissimi comitem  
& unà cum reliquis consiliarijs eius salutaris  
& ardua deliberationis assessorem conspexerimus,  
minimè diffiteri oporteat, quicquid præclari  
& fructiferi emendatione illâ effectum est, cum à  
capite h. e. ipso principe discesserimus, partem  
eius ad **THEODoricum** esse referendam?

Nemo vestrum est, auditores, quin intelligat,  
quàm verè & quàm multa hoc loco dicere possem  
de Consiliarij publici dignitate: de eius meritis in  
Remp.

Remp. qui eo officio probè perfunctus sit: de luce & splendore, quem familia sua, quem liberis, quem posteris excitârit. Verùm cum certis ijsq̃ breuissimis temporis cancellis inclusus sim, orationisq̃ meae terminus ad aurium vestrarum lubentiam & satietatem accommodandus esse videatur: ita de hac parte verba mihi facienda arbitror, ne ad reliqua aditum mihi præcludam. Quamobrem cum cetera in societate ciuili & officio publico laudabilia in THEODORICO extiterint: vnum illud reliquum est, vt videamus, annè ex domesticâ eius vitâ & familia gubernatione & coniugij fortuna decerpi possit, quòd prædicationem mereatur aut felicitatis cuiusdam & diuini fauoris argumentum sit. Quamuis enim fortasse aliquis reperiat vel maleuoli animi vel sinistri iudicij arbiter: qui hac tenuia iudicet, neq̃ in confesso tot clarissimorum virorum & eruditorum inuenum in medium proferenda magnopere censeat: tamen vnumquemq̃ vestrũ longissimè ab illo iudice dissentire & ratio ipsa persuadet & assensus ac nutus illi taciti non obscure me commonefaciunt. Quis enim vestrum est, quin fateatur, in magnâ felicitatis parte ponendum esse, quod cum etas THEODORICI ad

D

coniu-

coniugium maturuisset, coniugem sibi & vitæ so-  
ciam & generis propagatricem elegerit, non igno-  
bilem, non fastuosam, non morosam, non segnem  
aut aliorum nauorum suspectam: sed nobilitate ge-  
neris, ingenio modesto simul & prudenti, castitate  
& comitate singulari, industria gubernanda fami-  
lia & alijs multarum virtutum ornamentis ita  
præstantem, ut eam verè cum Euripide <sup>ταυριόο</sup> <sup>δεγής</sup>  
dixeris, ELSAM BERGIAM, VICCij à  
BERgen nobilis Luneburgici primarij & CA-  
THARINÆ SCVleburgia filiam unicam: ita  
tamen unicam, ut eodem cōiugio unicum coniugis  
fratrem FRIDERICVM à BERgen, non so-  
lum ingenij atq; animi dotibus excellentem & la-  
tissimorum fundorum dominum & heredem uni-  
cum, sed etiam aliquot iam annos in consessum se-  
natorum ditionis Lunaburgica & administratio-  
nem præfectura BLEkensis receptum, ijsq; mu-  
neribus singulari grauitatis, sapientia, & industria  
laude perfungentem, non sine magno animi gau-  
dio adsciuerit affinem? Non dicam, quanta hu-  
ius coniugij fuerit suauitas? quanta amoris mu-  
tui constantia? quanta voluntatum atq; animo-  
rum consensio? ut Admetum & Alcestin neque  
arden-

ardentius sese amasse, neque diuulsionem amoris  
acerbius atq; impotentius tulisse, quam hos aman-  
tissimos sui coniuges, existimem. neq; dubium est,  
generosam THEODORICI viduam, si hoc illi licu-  
isset, mori ipsam maluisse, quam morientem vide-  
re maritum. Non commemorabo, quanta eius-  
dem connubij Deo benedicente extiterit fœcundi-  
tas, cum quidem duodecim liberos, natos nouē fœ-  
mellas tres, intra nouendecim annos, ex hac carissi-  
mā uxore suscepit, eosq; omnes in hunc diem su-  
perstitēs & vigentes: quorum animos quantis mœ-  
rorum stimulis perfodi & lacerari in hac prema-  
tura atq; improvisa carissimi parentis amissione  
putabitis? Non hic repetam, quā intenti fue-  
rint parentes, in educandā sobole, in seuera & di-  
ligenti institutione ad pietatem, ad modestiam, ad  
comitatem, ad industriam, ad ceteras, quæ sexum  
queng; ornant, dotes. Taceo autoritatem THE-  
odorici apud familiam & subditos, non eam, quæ  
continuis probris, quæ minis, quæ flagris, quæ car-  
cere quasi coacta exprimitur: sed quæ grauitatis,  
prudentiæ, æquitatis, assidua inspectionis spon-  
tanea comes est. Is enim erat, qui amari se mallet  
quā metui: & obedientiam voluntariam cupe-

D 2                    ret,



ret, non coactam. Itaq; iam nemo est neq; dome-  
sticorū neq; subditorum, quin acerbissime discessum  
domini sui deploret, quin gemitu & lachrymis  
amorem eius contestetur, quin, si hoc fata permit-  
terent, magno fortunarum suarum dispendio à  
morte & sepulchro illum redimeret. Omitto fa-  
miliam atq; ipsam domum, quam non luxus & li-  
bidinis & contumelia & rixarum & profanita-  
tis: sed pietatis, diligentia, concordia, obedientia,  
& castissima disciplina officinam quandam angu-  
stam nominare posses. Silentio deniq; inuoluo, in-  
dustriam huius patrisfamilias in augendâ re fa-  
miliari & comparandis pro numerosâ sobole alijs  
atq; alijs fundis; ita ut quantum alijs de bonis &  
hereditate paternâ, non necessario luxu in vesti-  
bus, conuiujs, venationibus atq; adificationibus  
detraxisse, eaq; penitus ære alieno obruisse post  
mortemprehenduntur: tantum ille, non equi-  
dem ullis malis artibus, sed prudētī gubernatione,  
sedula inspectione, agricultura studio & felici suc-  
cessu, diuina deniq; accedente benedictione, ad eam,  
quam à patre acceperat, hereditatem adiecerit.

Videtis, auditores, non me copiam in dicendo  
querere, sed breuitatem, neq; id à me agi, ut sin-  
gula,

gula, eo quo aequum erat, verborum splendore & orationis amplitudine explicem; sed ne planè de precipuis conticescam. Quod si enim copia mihi proposita esset, aut eà uti liceret: equidem hac ipsa, qua vix verbo perstrinxi, ita extendere possem, ut citius me dies quàm oratio, vos antè audiendi cupiditas, quàm me dicendi facultas deficeret. Verùm animaduerto me hactenus vobis satisfecisse, & id unum adhuc vos expectare, ut qualis extremus eius vita actus fuerit, audiatis. Aequum enim & Christiani hominis esse existimatis, ut non solum benè viuat, sed etiam benè è vita excedat. Ita equidem esse vobiscum sentio, auditores, & non solum Ethnicus Solon hoc precibatur, finem cuiusque vita esse inspiciendum: sed multò magis hæc THEODORICO nostro multò antè meditata, & cum opus erat, cumq; finis ille ac terminus imminebat, in actum deducta sunt. Neq; enim aliter fieri poterat, quin qui vitam piè, honestè & laudabiliter traduxisset, piè & tranquille eandem clauderet. Itaq; cum vicesimo Nouembris die in vehementissimum pectoris morbum, cum immenso frigore, quod intensissimus calor post subsecutus est, & ut ego existimo, aestuante & con-

tinua febrī coniunctum incidisset: fecit ille quidem omnia, quæ ad valetudinem recuperandam pertinebant. Quis enim aliter poterat aut debebat, cum Deus vitæ nostræ autor & conseruator, hoc non solum permittat sed mandet? cum lucis ille insitus & impressus amor ad lucem hanc quam diutissimè hauriendam nos omnes stimulet atque impellat? cum lectum illum, in quo iacebat, circumstantes videret, eiulantem uxorem, flentes liberos, squallentem familiam, lachrymantes cognatos atque amicos? cum omnes audiret id unum cum lachrymis & suspirijs optantes, ut viueret? cum denique ipse se suis, quibus parens, caput, oculus, atque cor erat, vitæ prorogationem debere sentiret? Fecit igitur & tentauit omnia, quæ in tam arden- ti & acuto morbo poterant: & ipse in lecto decum- bens & tota eius familia vultibus in terram pro- stratis Deo Opt. Max. supplicarunt & pro vitæ domini deprecati sunt: medicorum opem implora- uit: pharmacis usus est: illo inprimis sacerrimo a- nima remedio, corpore & sanguine Saluatoris no- stri IESU CHRISTI lassam & anhelantem animam erexit atque recreauit. Quod cum acce- pisset O, inquit, quanta consolatione plena est no- stra  
stra

stra sententia de re Sacramentaria, qua affirmamus & credimus FILIVM DEI suo corpore & sanguine verè adesse cœna sua & fidelium ore percipi, & eorum corda pascere & inhabitare? Quid enim me nunc efficacius consolari potest, quàm quòd sciam Dominum nostrum **JESVM CHRISTVM** per sumptionem sui corporis & sanguinis nunc verè ingressum esse, & inhabitare meum cor & mecum in unam massam coalescere? In morbo nullum impatientia aut impotentis animi signum edidit, neq; ullum doloris morsum, præter unum immodicum calorem se sentire professus est, sed ut omnia eius in vita pacata, sedata, æquabilia fuerunt: ita quoque summâ quiete, sine ullo strepitu & doloris significatione è vitâ egressus est. Cum enim novem dies vehementiam morbi pertulisset, iamq; exhaustus & victus, termino se premi & ex hoc fragili corporis domicilio emigrandum esse cerneret: recitans ipse ac sese erigens varijs sacra scripturæ dictis de **CHRISTI** merito & certa resurrectionis spe, & ex sacerdotum circumstantium ore saluberrima quaq; & vitæ ac spiritus plena excipiens, tandem tum omnes suos, quos circumstantes aspiciebat,

bat,

bat, tum animam suam iam iam euolaturam sum-  
ma deuotione & fiducia ardore DEO Opt. Max.  
commendabat, & in hac suprema uerba leniter  
erumpens: Omnia plana & expedita sunt: sine  
ullo corporis aut capitis motu expirauit, anno a ta-  
tis 49. inter climactericos septimo.

Vixit igitur auditores, THEODORI-  
CVS MOLTZANIVS, atque ita vixit,  
ut posteris viuendi pulcherrimum exemplum reli-  
querit. Siue enim quis de boni & integerrimi  
viri officio: siue de boni consiliarij functione: siue  
de boni mariti conditionibus: siue de boni patris-  
familias munere sollicitus fuerit: habuit certè &  
habet in hoc uno, qua in singulis istis atque uni-  
uersis, probet, admiretur sequatur. Ideo enim,  
clarissimorum virorum exequias obire, eorumq;  
elogia non premere sed proferre, non obscurare  
sed illustrare fas est atque solenne: non solum ut  
in ipsos hoc quicquid est supremi honoris confe-  
ramus: sed etiam ut ad earum virtutum, quas de  
illis celebrari audimus, imitationem nos compo-  
namus atque excitemus. Vixit ille, at non sibi  
soli: vixit Reipub. vixit templis atque religioni:  
vixit multis miseris opem suam implorantibus:  
vixit

vixit bonis omnibus. Idem ita vitam cum morte  
commutavit; ut his omnibus luctum quidem im-  
mensum atque incredibile sui desiderium relique-  
rit: sibi verò gaudium infinitum atque immortale  
pepererit. Quapropter etsi vidua generosissima  
& liberi atque cognati ac affines nobilissimi, &  
omnes illi qui eum viuum, ut patrem, ut patro-  
num, ut amicum complexi fuerunt, discessu eius  
in iustissimum luctum & squalorem acerbissimum  
coniecti sint: habent tamen & habebunt idem,  
quo se erigant atque consolentur, quod laudabili-  
ter vitā perfunctus sit; quod bene beateq; obierit:  
quòd honestam & praeclaram sui memoriam reli-  
querit: inprimis verò, quod non perierit, sed  
hanc miseriam cum beatitudine, hanc corporis  
molem, cum caelesti domicilio, hanc vitæ fugacita-  
tem cum ipsa immortalitate commutauerit. Et si e-  
nim corporis exuvia hoc ipso die in templo Ram-  
bouienſi ad certa resurrectionis spem humantur:  
tamen anima eius in caelum & ipsius Deus sinum  
recepta est. O beatam illam animulam, quæ ex  
his tenebris ad illam perpetuam lucem; ex hoc car-  
cere ad illa liberrima atque infinita cœli spacia;  
ex hac metus, peccati & mortis valle ad illum

E tran-

tranquillitatis & vita portum euolauit. Quae  
quidem ut illi inuideamus, tantum abesse debet,  
ut potius nobis exoptandum sit, ut illum eundem  
vita cursum, quem ille tenuit, persequamur, utq;  
ad eandem metam, quam ille attigit, cum supre-  
mus ille Dictator iusserit, pari successu peruenia-  
mus; utq; aliquando gratulari nobis possimus &  
clamare in caelestem illam patriam, euecti,  
quod ille iam cum omnium beatorum coe-  
tu coram Throno agni letans

ingeminat:

DIXI.



LE-

# LECTVRIS SALVTEM.

**P**raeclarum Dei donum, & excellens decus, ornamentum & praesidium Reip. & commune bonum est sapiens & fidelis Consiliarius, qui ingenio & rerum usu pollet ad dispendium, quid consilij & actionum singulis temporibus & rebus conveniat, & pietatis, iustitiae, pacis, ac moderationis studiosus est, & ad dicendam in gravissimis negotiis sententiam vocatus gloriam Dei & salutem ac tranquillitatem publicam sibi propositam habet, & in Principis ac magistratus sui vel totius regionis negotiis expediendis fidem & industriam cum dexteritate coniunctam adhibet. Talem Consiliarium in utroque Ducatu Megapolitano & Pomerano iam per aliquot annos fuisse meminimus Magnificum & Nobilissimum virum, ingenio, sapientia, eruditione, pietate & humanitate praecleara excellentem Dominum THEODORICVM MOLTZANIVM, in VLRichshausen, Claber, & Hagen Haereditarium *ὁμόνυμον ἑὸμοιον* THEODORICO illi Seniori ante multos annos extincto, Grubenhagij & aliorum fundorum Domino, Consiliario in eadem & Marschallo huius Ducatus: quem olim nobis familiarem, insignibus animi & ingenij dotibus & autoritate ac amore apud principes atque ordines singulari tanquam stellam aliquam in hac regione enituisse recordamur. Hic verò THEODORICUS a parentibus nobilissimis VLRICO Moltzanio & Margareta Kerkdorffia natus & ad studia literarum & Iurisp. adhibitus, in quibus laudabiles in aliquot Academijs juvenis fecit progressus: cum post in eo singularis vitae integritas, prudentia, ardor bene de alijs merendi & alia ingenij atque animi dona elucerent: suffragio & voluntate Ill. principum & aliorum ordinum utriusque Ducatus in Senatorum ordinem, diverso tempore ad-





scitus est: in quo officio & Illust. Princip. & cæteris ordi-  
bus illa quæ diximus, ingenij ornamenta aliasq. virtutes in  
bono viro & bono consiliario requisitas cum amore & laude  
omnium probavit. Iam vero præter omnium expectatio-  
nem ingressus annum ætatis Climactericum septimum morbo  
acuto pectoris, cum magno suorum & bonorum omnium  
dolore 29. Nouemb. die anni præteriti, animam piè & placi-  
dè expiravit. De cuius vita & morte Orationem elegan-  
tem conscripsit Clariss. & doctissimus vir M. MARTINVS  
BRASCHIVS, Logices in hac Scholâ Professor ordinarius,  
collega noster carissimus: qui & natus est in illo loco: & hoc  
nobili Heroë familiariter vsus; parentes vero eius familiarissi-  
mè: quâ Oratione defuncto in Academia nostra publicè pa-  
rentare constituit *cras horâ nonâ*, quo die exuuiæ corporis terræ  
condentur, habente concionem funebrem Venerando & docti-  
ssimo viro M. EDERHARDO WESTENHVSANO, BRA-  
schij vitrico. Cum verò æquum sit, viris bene de Rep. & di-  
tione tota consiliis & operâ meritis, vltimum exequiarum  
honorem exhibere & virtutum ac meritorum ab ipsis in Rep.  
collatorum recordari ac in ipsis laudandis, Deum ipsum qui  
bonos Consiliarios, eisdemque cor sapiens & oculum viden-  
tem largitur, celebrare: oro & hortor literatos omnes & sin-  
gulos nostræ Academiæ, vt parentationi huic libenter inter-  
sint & eo officio quoque à familia Moltzanorum no-  
bilissima gratiam ineant. P. P. secundo


Januarij, Anni incuntis 1600 quem  
Academiæ nostræ & vniuersitæ Reip.  
& Eccles. salutare in pre-  
cor & voueo.

DAVID CHYTRAVS.









coniugium maturuisset, coniugem sibi & vita so-  
& generis propagatricem elegerit, non igno-  
, non fastuosam, non morosam, non segnem  
rum nauorum suspectam: sed nobilitate ge-  
enio modesto simul & prudenti, castitate  
singulari, industria gubernanda fami-  
lularum virtutum ornamentis ita  
prae, <sup>306</sup>eam verè cum Euripide <sup>capit. or. de genis</sup>  
dixerit: **AMBERGIA**, VICCIJ à  
**BERG** <sup>306</sup>uneburgici primarij & **CA-**  
**THA** <sup>OS 1600</sup>Wleburgia filiam unicam: ita  
tamen unice <sup>10 09 03 02 01</sup> in cōiugio unicum coniugis  
fratrem **FR** <sup>10 09 03 02 01</sup> **SVM** à **BER**gen, non so-  
lum ingenij atq; <sup>10 09 03 02 01</sup>ibus excellentem & la-  
tissimorum funde <sup>10 09 03 02 01</sup>um & heredem uni-  
cum, sed etiam aliq; <sup>10 09 03 02 01</sup>nos in confessum se-  
natorum ditionis <sup>10 09 03 02 01</sup> & administratio-  
nem praefectura **BLE** <sup>10 09 03 02 01</sup>um, usq; mu-  
neribus singulari grauitate, & industria  
laude perfurgentem, non, <sup>10 09 03 02 01</sup>animi gau-  
dio adscuerit affinem? <sup>10 09 03 02 01</sup>anta hu-  
nus coniugij fuerit suauitas? <sup>10 09 03 02 01</sup>is mu-  
tui constantia? quanta voluntate <sup>10 09 03 02 01</sup>imo-  
rum consensio? ut **Admetum** &

